



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XXIV. De evitatione curiosæ inquisitionis super alterius vita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

stata suavitate supernæ felicitatis,
pigeat de terrenis cogitare.

6. Rape me, & eripe me ab omni
creaturarum indurabili consola-
tione: quia nulla res creata, appe-
titum meum valet plenarie quietare,
& consolari.

Junge me tibi inseparabili dile-
ctionis vinculo: quoniam tu solus
sufficis amanti, & absque te frivola
sunt universa.

CAPUT XXIV.

*De evitacione curiosæ inquisitionis su-
per alterius vita.*

1. **F**ili, noli esse curiosus, nec va-
cuas gere sollicitudines.

Quid hoc vel illud ad te? tu me
sequere.

Quid enim ad te, utrum ille sit
talis vel talis, aut iste sic & sic agit,
vel loquitur?

Tu enim non indiges respondere
pro aliis, sed pro teipso rationem
reddes. Quid ergo te implicas?

M

Ecce

Ecce ego omnes cognosco; & cuncta, quæ sub sole fiunt, video; & scio, qualiter cum unoquoque sit, quid cogitet, quid velit, & ad quem finem tendat ejus intentio.

Mihi igitur omnia committenda sunt: tu vero serva te in bona pace, & dimitte agitantem agitare, quantum voluerit.

Veniet super eum, quidquid fecerit, vel dixerit, quia me fallere non potest.

2. Non sit tibi curæ de magni nominis umbra, non de multorum familiaritate, nec de privata hominum dilectione.

Ista enim generant distractiones, & magnas in corde obscuritates.

Libenter loquerer tibi verbum meum, & abscondita revelarem, si adventum meum diligenter observares, & ostium cordis mihi aperires.

Esto providus, & vigila in orationibus, & humilia te in omnibus.